



15
leg. 17 -
1397

Este es vn traslado bien y fielmente sacado, de vnas letras Apostolicas, y Bulla de la Creacion y erection del de felice recordacion SIXTO Papa Quarto, concedidas a instancia del Catholico Rey don Fernando, en fauor de la Iglesia mayor y Collegial de señor sant Antolin de la villa de Medina del Campo, diocesis de Salamanca, escripta en pergamino de cuero y en lengua latina plomada, pendiente en filos de seda de colores amarillo y colorado, segun que por ella parece, que su tenor de la qual, sacado del original y de verbo ad verbum, es este que se sigue.



Sixtus Episcopus, seruus seruorum DEI ad perpetuam rei memoriam. In supremæ apostolicæ dignitatis specula, meritis licet in sufficiētibus diuina dispositione cōstituti ad ecclesiarum quarumlibet decus & venustatem: ac illarum statum augendum, & foeliciter dirigendum nostræ sollicitudinis aciem diligenter extendimus: & ad ea manus operarias efficaciter apponimus, perque illis, ac in eis diuinis laudibus insistentibus personis honor dignitatis accrescat, diuinus cultus floreat, fidelium excitetur deuotio, animarumquē desiderata salus proueniat: præcipue dum Catholicorum Regum vota hoc exposcunt, nosquē aliàs id conspiciamus in domino salubriter expedire. Sanè pro parte charissimi in Christo filij nostri Ferdinãdi Castellæ, Legionis, Aragonum, & Siciliae Regis illustris: necnō dilectorum filiorum Rectoris parrochialis ecclesiæ sancti Antolini, & maioris Cleri, ac Archipræsbyteri Archipræsbyteratus oppidi de Medina del Campo, Salmantini. diocesis: necnon vniuersorum perpetuorum beneficiarum in dicta parrochiali Ecclesia, nobis nuper exhibita petitio continebat: quod olim claræ memoriæ Ferdinandus Aragonum Rex, præfati Ferdinãdi auus dictum oppidum pluribus donis decorauit, & in illo præfatam parrochiam Ecclesiam construi, & ædificari fecit, desiderans illam in Cathedralē, aut Collegiatam Ecclesiam erigi facere. Tamen morte præuentus suum desiderium huiusmodi adimplere nequiuit. Sed præfatus Ferdinãdus Rex zelo deuotionis accensus, ac etiã pro eiusdē oppidi decore, & ornamēto dictā Ecclesiam in Collegiatam erigi sumopere desyderat. Quare pro parte tã Ferdinãdi regis, quã Archipræsbyteri, & Rectoris, ac beneficiarum prædictorum nobis fuit humiliter supplicatū: vt Archipræsbyteratū prædictū (qui dignitas ruralis existit) illiusquē nomen, necnon omnia, & singula beneficia ecclesiastica in eadem parrochiali ecclesia consistentia suppresserit: ipsamquē ecclesiam in Collegiatam cum Dignitatibus, Canoniciatibus, & præbendis, ac integris, & dimidijs portionibus infra scriptis: necnon archa, sigillo, & alijs Collegialibus insignijs erigere, aliasquē in præmissis oportunè prouidere de benignitate Apostolica dignaremur.

A

Nos igitur, qui dudum inter alia voluimus, quod petentes beneficia ec-
clesiastica alijs vniri, teneretur exprimere verum valorem secundum cō-
munem estimationem tam beneficij vniēdi, quam illius, cui vniri petere-
tur: alioquin vnio nō valeret, & semper in vnionibus fieret cōmisio ad
partes, vocatis quorum inter esset. Et deinde quascunque gratias expe-
ctatiuas, & alias, quam super quibus literæ in forma solita expediri con-
sueuerant reseruaciones, & reseruandi facultates, seu conferendi manda-
ta, de quibusuis prioratibus, dignitatibus, etiam maioribus, & principa-
libus, personatibus, administrationibus, officijs, canonicatibus, & præ-
bendis, ceterisque beneficijs, & locis ecclesiasticis, secularibus, & quorū
uis ordinum regularibus, nostræ & sedis prædictæ dispositioni ex qua-
cumque causa generaliter reseruatis: qualiacunque forent, nec non lite-
ras apostolicas super illis confectas, cū processibus inde sequutis in quo-
rumcunque fauorem, & quibusuis, etiam specialibus, & expressis perso-
nis per nos etiam motu proprio, & ex certa sciētia, ac ad futuram rei me-
moriam, & cum quibusuis, etiam derogatoriarum derogatorijs clausu-
lis forsan factas, & concessas, ac sub quibus prioratus, dignitates, perso-
natus, administrationes, officia, canonicatus, & præbendæ: aliaque bene-
ficia, & loca nostræ, & sedis prædictæ dispositioni generaliter reseruata
huiusmodi comprehendebantur: seu comprehēdi videbantur, aut qua-
rum vigore Ecclesiæ, Monasteria, Prioratus, dignitates, personatus, ad-
ministrationes, officia, canonicatus & præbendæ, aliaque beneficia, & lo-
ca ecclesiastica gñraliter reseruata huiusmodi, vnita, annexa, & incorpo-
rata cēseretur, aut acceptari, cōferri & assignari possent: seu de illis proui-
deri eisdem, vel alijs personis, quomodolibet valeret in futurum: quæ
reseruata beneficia huiusmodi) dumtaxat reuocauimus, cassauimus, irri-
tauimus, & annullauimus: nec non easdem, & quascunque alias gratias
expectatiuas, & reseruaciones, seu mandata de conferendo, ac super illis
confectas literas, in quibus certus librarum, & florenorum valor vltra ta-
xam per Cancellariam prædictam iuxta illius constitutiones, per nos su-
per hoc editas reperiēbatur expressus, cum eorum processibus restrinxi-
mus, reduximus, & reposuimus: ac alias quo ad reliquum numerum cas-
sauimus, & pro infectis haberi voluimus. Ac statuimus, & declarauimus,
& ordinauimus gratias expectatiuas, & mādta concessa huiusmo-
di, & non alia similia per nos forsan in posterum concedenda, ac de su-
per confectas, & conficiendas literas, etiam si de voluntate, & ordinatio-
ne illius huiusmodi, de verbo ad verbum mentio in illis haberetur, & eis
derogaretur expressè, ad beneficia nostræ, & sedis prædictæ dispositio-
ni minime reseruata, modo premissis dumtaxat extendi, ac irritum decre-
uimus, & inane si secus super his à quoquā, quauis autoritate scienter
vel ignoranter contingeret attēptari: & successiue motu, & sciētia simili-
bus oēs, & singulas reseruaciones speciales, ac facultates de sic reseruatis
dignitatibus, personatibus, administrationibus, canonicatibus, & præ-
bendis

16

bendis, monasterijs, prioratibus, preposituris, & alijs quibusuis secularibus, & regularibus cum cura, & sine cura beneficijs ecclesiasticis: cuiuscumque qualitatibus, vel conditionis forent, quomodolibet vacaturis: necnon gratias expectatiuas, speciales reservationes, declarationes, indulta, facultates, nominationes, concessiones: necnon nominandi, conferendi, & prouidendi mandata, in eo dumtaxat, quo ille ad beneficia reservata huiusmodi se extendebat, quibusuis personis, cuiuscumque dignitatis, status, gradus, ordinis, vel conditionis forent: etiam sancte Romanæ ecclesie Cardinalibus, per nos, aut predecessores predictos ex quavis causa, etiam in recompensam, vel ad effectum unionum earundem, quomodolibet concessas, & factas: ac literas apostolicas sub quacunque forma, vel expressione verborum, & cum motu, scientia, seu alijs efficacissimis, & in solitis, ac reuocatorijs, & urgentibus clausulis, irritantibusque decretis: etiam cum constitutionis, & literarum predictarum expressa derogatione: etiam quod illis derogari, aut illa reuocari non possent, nisi sub certis & specificatis modo & forma, aut trina nostrarum literarum, earumque diuersa expeditione, seu insinuatione confectis: quæ effectum sortite non essent, & quarum omnium tenores habere volumus pro expressis, ac processus habitos per easdem auctoritate prefata per alias nostras literas reuocauimus, cassauimus, irritauimus, & annullauimus. Necnon illa, & quæcunque forsitan in posterum contra ipsas literas quibusuis personis predictis, etiam dictis Cardinalibus concedi: necnon acceptationes quascunque, & prouisiones, ac assecutiones, & despositiones de reservatis beneficijs predictis: per quosuis, etiam Cardinales fieri contingeret, cassa, irrita, & inania, nulliusque roboris vel momenti esse decreuimus, pariter & declarauimus. Ac volumus, & motu, scientia, ac auctoritate similibus statuimus, omnes, & singulas literas apostolicas quibuscunque personis (vt præfertur) etiam Cardinalibus faciendas in quibus, postquam earum derogatio, quoquo modo fieri appareret, non solum, quo ad reservata beneficia (vt præmittitur) sed ad omnes in illis contentas clausulas vim, & effectum reuocatas plenarie, & specificè fore, ac pro nullis, & infectis haberi, reputari, & sic ab omnibus iudicibus iudicari, pro vt in eisdem literis plenius continetur, fructuum, reddituum, & prouentuum dictorum beneficiorum in eadem parrochiali veros annuos valores presentibus pro expressis habentes: huiusmodi supplicationibus inclinati Archipresbyteratum predictum, eiusque nomen: necnon omnia, & singula beneficia supradicta auctoritate apostolica tenore presentium penitus supprimimus, & extinguimus. Necnon dictam parrochiam ad laudem omnipotentis Dei, & totius Curie triumphantis in Collegiatam cum nomine, & titulo, sigillo, archa communi, alijsque vniuersis Collegiæ ecclesie insignijs: necnon cum Abbatia, quæ inibi principalis pro vno Abbate: qui Capitulo eiusdem ecclesie præsit, & illius caput existat: ac Prioratu, Cantoria, Thesauraria, & Scholastria: quæ inibi dignitates existant: necnon Duodecim Canonicatibus, & totidem præbendis: ac

duodecim simplicibus perpetuis beneficijs ecclesiasticis, quorū sex integre, & sex dimidię portiones appellētur, pro totidem personis idoneis: que videlicet Dignitates, ac Canonicatus, & prebendas huiusmodi obtinentes dumtaxat Capitulum ipsius ecclesię faciant, & representent: eisdē autoritate, & tenore erigimus, creamus, & instituimus. Statuentes, nihilominus & etiam ordinantes, quod occurrente vacatione Abbatie prædictæ (præterquam pro ista prima vice) Clerus huiusmodi canonicè congregati eligant personam idoneam ad illam (pro vt ad dictum Archipresbyteratum de antiqua, & approbata, hactenus pacificè obseruata consuetudine elegerunt) præsentandum Consistorio, & consilio iustitiæ, & Rectoribus dicti oppidi: qui eandem electam personam cum literis testimonialibus Episcopo Salmantin. pro tempore existenti præsentare debeat: & si dictus Episcopus eandem electionem, & præsentationem confirmare, ipsamquē personam instituere deneauerit: ex tunc ipsa præsentata persona pro instituta, & electio huiusmodi pro confirmata habeatur: pro vt ex eadem consuetudine hactenus obseruatum fuit. Quodquē ad alias Dignitates, ac Canonicatus, & præbendas: nec nō alia beneficia huiusmodi, etiam (præterquam pro hac prima vice) dum pro tempore vacauerint, gradatim & per optionem fiat ascensus: videlicet de tenui dignitate ad pinguiorem dignitatem, & de canonicatu, & præbenda, ad dignitatem: ac de integra portione ad canonicatum, & præbendam: ac de media portione ad integram portionem. Et quia Parrochiani dictę Ecclesię ad quatuor beneficia in eadem præsentare consueuerant, quod præfati Parrochiani habeant deinceps perpetuò similiter (præterquam pro ista prima vice) ius præsentandi ad tres dimidias portiones, cum vacauerint, simul cum pro tempore existenti Rectore eiusdem ecclesię, absquē licentia Abbatis, & Capituli illius, Dum tamē personæ quas præsentauerint sint idoneæ ætatis, & habiles ad sacros ordines suscipiendos. Ac de reliquis tribus dimidijs portionibus similiter (præterquā pro hac prima vice) Abbas, & Capitulum eiusdem ecclesię perpetuò disponere possint. Quodquē Episcopus prædictus in Abbatem, & Capitulum dictę ecclesię, ac Clerum, & oppidanos dicti oppidi nullam iurisdictionē ac superioritatē, etiā ratione delicti, vel cōtractus, seu rei de qua ageretur ubicūquē comitatur delictum, in eatur cōtractus, aut res ipsa cōsistat, nisi in sacrilegijs, & causis matrimonialibus, & appellationum, necnon præsentationum institutionibus, seu confirmationibus, pro vt hactenus de eadem consuetudine non exercuit, exercere non possit: quam consuetudinem harum serie approbamus & confirmamus. Et nihilominus suprà beneficia prædicta: necnon præstimonia, præstimoniales portiones, & simplicia, etiam seruitoria beneficia in Salmantin. Segobien. Zamoren. Palentin. & Abulen. ciuitatibus & dięcesibus cōsistentia: quorum fructus, redditus, & prouentus mille librarum Turonen. paruorum (secundum comunem estimationem) valorem annum nō excedāt: cum omnibus iuribus, & pertinentijs suis, mensę Capitulari præfate

fatae ecclesiae: cuius fructuum, reddituum, & prouentuum verum valor e
annuum praesentibus haberi volumus pro expressio, autoritate, & te-
nore praedictis in perpetuum vnimus, anectimus, & incorporamus. Ita
quod si vacant ad praesens, alioquin cedentibus, vel decentibus simul, vel
successiue illa ad praesens obtinentibus, aut illa alias quomodolibet dimi-
tentibus (dummodo ex quacumque causa dispositioni apostolicae spe-
cialiter, vel generaliter reseruata non fuerint) liceat praefatis Capitulo per
se, vel alium, seu alios corporalem possessionem praestimoniorum, praes-
timonialium portionum, & simplicium etiam seruitiorum, aliorumque
beneficiorum, ac iurium, & pertinentiarum praedictorum propria auto-
ritate liberè apprehendere, & perpetuo retinere: illorumque fructus, red-
ditus, & proventus huiusmodi in suos, ac dictae Mensae vsus, & vtilitate
conuertere: diae cesanorum locorum, & quorumcunque aliorum licen-
tia super hoc minime requisita. Praeterea etiam statuimus, & similiter or-
dinamus, quod nullus cuiuscunque dignitatis, status, gradus, habilitatis
vel praegeminentiae fuerit, Abbatiam, dignitates, canonicatus, & prebendas,
integras, & dimidias portiones praefatae ecclesiae (excepta hac prima vi-
ce) obtinere possit: nisi sit filius patrimonialis dictae ecclesiae, aut incola-
rum dicti oppidi: etiam si vigore gratiae expectatiuae, vel ex quocumque indul-
to apostolica autoritate concessio, seu in posterum concedendo, etiam
cum clausulis praesentibus literis derogatorijs, id concessum foret. Quodque
moderni clerici perpetui beneficiati in dicta ecclesia possint obtinere alia
beneficia, & capellanias perpetuas quae in dicto oppido obtinent, & fructus
eorum leuare: dum tamen Ecclesiae, & parochiani in diuinis, & ecclesiasti-
cis sacramentis nullum patiantur detrimentum: & post eorum obitum
maneant praesentandi ad illa parochianis aliarum ecclesiarum huius-
modi, pro vt illud hactenus habuerunt. Et quod beneficiati in dicta Col-
legiata ecclesia teneantur ad residentiam personalem in illa faciendam, &
non in alijs suis beneficijs, etiam si curata sint, vbicunque illa obtineant.
Quod omnes fructus, redditus, & proventus, qui deinceps eisdem Me-
sae, & ecclesiae ex quacumque causa deuenierint, & quos nunc dicta Colle-
giata ecclesia habet, diuidantur hoc modo: videlicet, de viginti partibus
fabricae dictae Collegiatae ecclesiae vniam, & de toto residuo de sex parti-
bus Abbas vniam: residuum vero diuidatur inter alias personas digni-
tates habentes, ita quod quilibet ipsarum duas partes integras, quilibet
vero Canonico- rum, & integrorum portionariorum vniam integram,
quilibet mediolorum portionariorum dimidiam percipiant. Abbas insu-
per, & Capitulum praedicti concorditer, & nemine discrepante statuta, &
ordinationes pro felici regimine, & gubernatione dictae ecclesiae, illiusque
ac personarum, & beneficiorum huiusmodi decore, & venustate, diui-
ni quoque cultus celebratione, & alijs eiusdem Collegiatae ecclesiae neces-
sarijs facere, & edere valeant: quae vim, & effectum habere, ac ab omni-
bus obseruari debere, volumus. Et nihilominus Abbati pro tempore e-
xistenti dictae Collegiatae ecclesiae, vt mitra, chirotecis annulo, & pastorali
baculo

baculo, ac alijs insignijs Pontificalibus perpetuo libere vti: ac in ecclesijs,
& locis præfatæ Collegiatæ ecclesiæ pro tempore subiectis benedictionē
solēnem, post Missarum, Vesperorum, & Matutinorum solēnia (dum
modo aliquis Antistes aut Apostolicæ sedis legatus ibi præfens non sit)
elargiri valeat, cōcedimus per præfentes. Et nihilominus singulis ex per
sonis infra scriptis: quæ (vt asseritur) præfato Ferdinando Regi gratæ, &
acceptæ sunt, considerationi ipsius Regis nobis pro illis humiliter, super
hoc supplicantis, specialē gratiā facere volentes: ipsasquē personas, & ea
rum quamlibet à quibuscunquē excōmunicationis, suspensionis, & in
terdicti, ac alijs Ecclesiasticis sententijs, censuris, & pœnis a iure, vel ab
homine, quauis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet inno
datae existunt (ad effectum præsentium dumtaxat consequendum) harū
serie absoluentes, & absolutas fore censentes: nec non omnia & singula
beneficia ecclesiastica cum cura, & sine cura, quæ quælibet dictarū per
sonarū, etiā ex quibusuis Apostolicis dispensationibus obtinet, & expe
ctat: ac in quibus, & ad quæ ius sibi quomodolibet cōpetit quoscumq;
quorūquē, & qualiacunquē sint, eorūquē fructuū, reddituū, & prouen
tuū veros valores annuos, ac huiusmodi dispensationū tenoris præfenti
bus pro expressis habētes. * Abbatia quæ (vt præmittitur) dignitas prin
cipalis existit. Alfonso Roderici Nianjon, Prioratum vero Ioāni Ruyz
de Medina Decretorū Doctori, & Thesaurariā Didaco Roderici d Boa
dilla. Singulos autē ex sex Canonicatibus, & totidem præbendis singu
lis ex Ioāne de Toro, Bachalario in Decretis, Ioāne Alfonsi Cuchillero,
Ludouico Ferdinādi de sancto Antonio, Petro Roderici de sancta Ma
ria del Castillo, Francisco Fernandi de sancto Antonio, & Fernando Sā
tij de sancto Petro. Singulas quidem ex tribus integras Alfonso Garfig
de sancto Thoma, Fernando Gundifalui de sancto Antonio, & Didaco
Fernandi Morejon. Nec non singulas tribus medijs portionibus, Marti
no Fernandi de sancto Antonio, Petro Fernādi Matheos, & Aluaro Sā
tij de Mercado. Qui omnes dextram partē Chori teneant. Cantoriam
autem Toriuio Ruyz de las puertas. Et Scholastriam, quæ ac Prioratus,
& Thesauraria prædicti sine cura sint, & ad quos qui per electionem non
assumentur, Michaeli Santij de pane & vino. Reliquos vero ex Canoni
catibus & præbendis huiusmodi singulis, ex Christophoro Gundifalui
Petro Fernandi de sancto Salvatore, & Ioāni Gometij de Alzogue, Al
fonso Fernandi Teso, Alfonso Ruyz de la antiqua, & Alfonso Cortes.
Et singulas ex reliquis tribus integras singulis, ex Ioanne Garfig Rolda
ni, & Ioanne Garfig de sancto Stephano, ac Didaco Alderete Bachalario
in Decretis. Necnō singulas ex reliquis tribus medijs portionibus: qua
rum annuū fructuum reddituum & prouentuum veros annuos valores
præfentibus pro expressis habentes, singulis ex Petro Martini de sancta
Maria del Castillo, Alfonso Garfig del Rincō, Francisco Gundifalui de
Ioanne grande clericis, dilectis filijs. Qui sinistram partem chori huius
modi teneant, ab earundem Abbatia, Prioratus, Thesauraria, Cantor
ria,


riæ, Scholastræ, Canonicatum, & præbendarum integrarum, & dimidiarum portionum huiusmodi primeua erectione apud sedem apostolicam vacãtia, & de quibus nullus præter nos, pro eo quod nos dudum omnes dignitates, ac canonicatus & præbendas, omniaquæ alia beneficia ecclesiastica cum cura, & sine cura per eandem sedem tunc vacantia, & in curia vacatura collationi, & dispositioni nostræ reserbauimus, decernentes ex tunc irritum, & inane si secus super his a quoquam, quauis autoritate scienter, vel ignoranter cõtingeret attemptari, hac vice disponere potuerit, siue possit, reseruatione, & decreto obsistentibus supradictis cum plenitudine iuris canonici, ac omnibus iuribus, & pertinentijs suis apostolica autoritate conferimus, & de illis etiam prouidemus. Decernentes, pro vt est irritum, & inane, si secus super his a quoquam, quauis autoritate, scienter, vel ignoranter attemptatum forsan est hætenus, vel in posterum contingerit attemptari. Quo circa dilectis filijs sancti Bartholomæi intra & sancti Saturnini extra muros dicti oppidi monasteriorum Abbatibus, ac Priori sæcularis, & Collegiatæ ecclesiæ beatæ Mariæ Valleoleti, Palentin. diocesis per apostolica scripta mandamus, quatenus ipsi, vel duo aut vnus eorum per se, vel alium seu alios singulas ex nominatis personis prædictis, vel procuratores suos earum nominibus, in corporalem possessionem respectiue singulorum dignitatum, canonicatum & præbendarum ac integrarum & dimidiarum portionum iuriumque & pertinentiarum prædictorum inducant, autoritate nostra & defendant inductos, a motis quibuslibet detentoribus ab eisdem, facientes personas ipsas, vel dictos procuratores pro eis pro vt quemlibet ipsarum concernit ad præbendas huiusmodi in dicta ecclesia in Canonicos recipi & infratres stallis eis in choro & locis in Capitulo eiusdem ecclesiæ cum dicti iuris plenitudine assignatis, necnon in dignitates integras & dimidias portiones huiusmodi, vt moris est respectiue admitti; ac ipsis de illorum fructibus redditibus prouentibus iuribus & obuentibus vniversis integrè responderi. Contradictores autoritate nostra appellatione post posita compescendo: Non obstantibus voluntatibus declarationibus, reuocationibus & alijs præmissis ac fœlicis recordationis Alexandri Quarti quæ incipit Abbates, & Clementis Quinti prædecessorum nostrorum Romanorum Põtificum, circa exemptos cæterisque contrarijs quibuscunque, aut si aliqui super prouisionibus sibi faciendis de præstimonijs præstimonialibus portionibus & simplicibus etiam seruitorijs ac alijs beneficijs huiusmodi in alijs partibus speciales, vel gñrales dictæ sedis, vel legatorum eius literas impetrarint: etiam si per eas ad inhibitionem, reseruationem & decretum, vel alias quomodolibet sit processum: quas quidem literas & processus habitos per easdem & inde sequuta quæcumque ad præstimonia præstimoniales portiones & simplicia etiam seruitoria beneficia ac alia vnita huiusmodi volumus non extendi, sed nullum per hoc eis quo ad assecutionem præstimoniorum præstimonialium portionum & simplicium etiam seruitoriorum, vel aliorum benefi-

beneficiorum prejudicium generari. Seu si Episcopo Salmatin. pro tem-
pore existenti, vel quibusvis alijs cōmuniter, vel diuisim adicta sit fede
indultum quod ad receptionem, vel prouisionem alicuius minime teneā
tur, & ad id cōpelli aut quod interdicti, suspendi vel excōmunicari nō pos-
sint: quodquē dignitatibus ac canonicatibus & præbendis ipsius Collea-
giatæ ecclesiæ ac huiusmodi, vel alijs beneficijs huiusmodi ecclesiasticis
ad eorum collationem, prouisionem, præsentationem, seu quamuis aliã
dispositionem coniunctim, vel separatim spectatibus nulli valeat proui-
deri per literas apostolicas, non facientes plenam & expressam ac de ver-
bo ad verbum de indulto huiusmodi mētionem, & quibuslibet alijs pri-
uilegijs, indulgētijs & literis apostolicis generalibus, vel specialibus quo-
rumcunquē tenorum existant, perque præsentibus nō expressa, vel tota-
liter nō inserta effectus earum impediri valeat quomodolibet, vel differ-
ri, & de quibus quorcumq; totis tenoribus de verbo ad verbum habenda
sit in nostris literis mentio specialis. Nulli ergo omnino hominum liceat
hanc paginam nostræ suppressionis, extinctionis, erectionis, creatio-
nis, institutionis, ordinationis, approbationis, confirmationis, vnionis,
annexionis, incorporationis, collationis, prouisionis, constitutionis, ac
mandati, & voluntatis infringere, vel ei auso temerario contraire. Siquis
autem hoc attemptare præsumpserit indignationem omnipotētis Dei,
ac beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius se nouerit incurfurū. Da-
tū Romæ apud sanctum Petrum, Anno incarnationis dominicę, Mille-
simo Quadringētesimo octuagesimo, tertio idus Iunij, Pontificatus no-
stri Anno Nono. CCCCL. A. de Urbino. Io. de Salas. A. de Urbino.
Forteguerra. Scum. L. Grifus. G. de la Fiera. R^{ma} in camera Apосто-
lica. I. de Spello.

El qual dicho traslado de las dichas letras Apostolicas y Bulla de creaciō
arriba contenido, yo *Matheo de Hussar* notario Apосто-
lico, por la autoridad Apostolica, ausculte y collacione, con el dicho ori-
ginal, que va cierto y verdadero y bien y fielmente sacado en la dicha vi-
lla de Medina del Campo a *o 12* dias del mes de *febrero*
de *Mil y seiscentos y treynta y o 12* años, estando pre-
sentes por testigos a si lo ver, auscultar y collacionar juntamente con mi
el dicho notario. *Juan de yglas* y *Don Hernan de ... y fco*

Moran de la dha villa y en fee de ello. *Lorenzo*

En fecho de ...
Matheo de Hussar
Wapp

HTCA
U/Bc LEG 17 n°1397

5>0 0 0 0 6 0 3 1 9 3